



10
1771, II
18

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE

POSSESSORE
LEGVM EX SENTENTIA
NON POSSIDENTE

QVAM
ADSPIRANTE SVMMO NVMINE
AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
PRAESIDE

CAR. FRIDER. WALCHIO

I. V. D. AC PANDECT. PROF. PVBL. ORDINAR. SERENISS.
DVC. GOTHAN. ET ALTENBURG. CONSILIAN. AVLIC. CVR.
PROV. SAXON. COMMVN. SCABINOR. COLLEGII AC IVRE-
CONS. ORDIN. ADSESS. SOCIETAT. LAT. IENENS. EPHORO
ALIARVMQUE SOCIETATVM LITTERARIAR. COLEGA

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CAPESSENDI

DIE XXII. IVNII MDCCCLXXI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T I T
A V C T O R
CHRISTIAN. FRID. STOLTEMBERG
L V B E C H N S I S

IENAE LITTERIS STRAVSSIL.



LIBERAE REIPUBLICAE LVBECENSIS

PATRIBVS CONSCRIPTIS

VIRIS

MAGNIFICIS ILLVSTRBVS EXCELLENTISSIMIS

CONSULTISSIMIS PRUDENTISSIMISQVE

DOMINIS

CONSVLIBVS

CANONICORVM ORDINI

PRAEPOSITO

SYNDICIS

SENATORIBVS

PROTONOTARIO

SECRETARIISQVE

MAECENATIBVS
PATRONISQVE
OMNI OBSERVANTIAE, OBSEQVII
AMORISQVE CULTV.
NVNQVAM NON PROSEQVENDIS
DISSERTATIONEM HANC,
QVAM IN AVGVRalem VOCANT,
IN SVI COMMENDATIONE!
MEMORIAMQVE
SACRAM ESSE CVPIT.

TANTORVM NOMINVM

PERPETVVS CULTOR
CHRISTIAN ERID. STOLTEMBERG



DISSERTATIO INAVGURALIS

DE
P O S S E S S O R E
LEGVM EX SENTENTIA
NON POSSIDENTE.

§. I.

Quid sit possidere.



P OSSIDERE cum dicimus, qui rem ita tener,
vt alios possit ab vsu arcere, siue qui ita
rem habet, vt alii simul habere non pos-
sint *). Haec quum vera est indoles pos-
sessoris, requiritur omnino ad veram pos-
sessionem, vt factum aliquod accedit, ex quo eluceat, rem
antea nullius nunc in dominio esse. Factum vero hoc est
apprehensio et custodia rei. Nam quum ante occupationem
omnia sint communia, ideoque ego eodem iure, quo tu

A

gau-

gaudream, vt re vtar, certe vt aliquid accedat necesse est, quod mihi usum rei adimat; hoc vero est occupatio et custodia. Occupatio vero non sufficit; sed custodia vt accedat necesse est, tria tertius scire non potest licet res fuerit occupata, num quis animo, eam sibi adquirendi, teneat, nec ne? quum deficit signum externum; nec alius aliter; quam per custodiā a rei excluditur usus. Itaque iureconsulti romani prudenter inter alia ratione ferarum requirunt, vt in custodia tua maneant, si tuas esse velis aliosque a possessione arcerē. l. 3. §. 2. D. de acquirendo rerum dominio **).

*) In definienda possessione iam occupatus fuit AELIUS GALLVS, quum teste FESTO possessionem usum possidendi agri; aut aedificii vocaret. Certa ratione idem affirmandum quoque est de IAVOLENO, ob verba eius, quae L. II. D. de V. S. continentur; non tamen negandum, plane alium esse sensum, quo ille vocabulum possessionis sumit et THEOPHILI notionem, quam princ. insit. de interdictis format, longe meliore esse. ERNEST. FR. SCHROETER, de essentia possessionis, Iena, 1710 CLIII.

**) Coniungenda cum hoc effato est L. 3. §. 14. D. de adquir. vel amittendo poss. Item ait, feras bestias, quas viuariis inclusurimus et pisces, quas in piscinas coniecerimus, a nobis possideri. Sequentibus verbis de animalibus, quae in sylvis circumscriptis vagantur, negat, quod illa possideantur, eadem ex ratione, quod contra GERH. NOOTDIVM, libr. 1. obser. cap. 11, tom. 1. p. 310. et FRANC. HOTTOMANVM, libr. VIII. obser. cap. 7. est animaduertendum, AERAH. WIELINGIVS, libr. 1. var. iuris civilis cap. 4. p. 16.

S. II.

Quomodo dividatur possessio.

DIVIDUNT quidem iurisconsulti veteres aequē ac re-
cen-

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

centiores doctores possessionem in qualificatam et in nudam seu simplicem ea ratione, ut qualificatam detentionem rei cum animo sibi habendi; simplicem autem nudam derentionem sine animo sibi habendi dicant et huc praeter commodatum aliosque casus in iure romano obuenientes referant depositum et pignus *). Vbi vero rem curatius consideramus, statim inuenimus, notionem possessionis, quam nobis formauimus, hancce diuisionem haud admittere ac simplicem possessionem non esse veram possessionem **). Possessio vera enim requirit, ut alios ab usu arcere possis, siue ut aduersarius tuus, qui non est socius, simul tecum possidere prohibatur, quod vero tum in deposito tum in pignore cessat. In deposito quidem res alicuius fidei committitur, ut ita illam custodiat, ne in potestatem tertii cuiusdam veniat; sed tamen depositarius verum dominum a possessione non potest arcere, sed simulac ille rem repetit, ipsi reddit ***). Idem valet de pignore. Licet enim creditor ius in re ratione pignoris accipiat, non tamen accipit verum dominium, quod potius apud debitorem manet. Probatur hoc actione pignoratitia, quam debitor etiam tunc instituit, si creditor male vtatur pignore ut reddit pignus. I. 24. §. 3. D. de pignoratitia actione. Quomodo vero quaeſo debitor hanc actionem posset instituere, si creditor dominus esset pignoris? Dominus enim re vtitur, ut vult. Non obſtat quod ratione pignoris valeat pactum addictionis in diem, ut debito tempore definito non soluto pignus creditor pro certo pretio vendatur. Dissertur

A 2

enim



4

enim adhuc tempus, quo creditor dominium accipiat pignoris, et tunc pignus non ut pignus, sed tanquam rem emtam possidet. Hoc vero emtionis nomine appellandum esse ex eo probatur, quod certum adhuc pretium creditor propter pignore dat, ideoque debito aliquid addit, quia pignus semper debitum pretio superat. Igitur fit nouatio contraactus, scilicet ex pignoratitio fit emtio venditio. ****).

*) Iam antiquioribus notam fuisse hancce differentiam, suo exemplo optime monstrauit C A I N S L. 13. 'D. de publiciana in rem actione. Interdum, inquit, quibusdam nec ex ius*s* possessionibus eam peti*t* publicianum iudicium. Namque pignoratitiae et precariae possessiones iustae sunt; sed ex his non soles competere tale iudicium, illa scilicet ratione, quia neque creditor; neque is, qui precario roganit, eo animo nanciscitur possessionem, vt credat se dominum esse. Coniungere debemus his cum verbis L. 10. C. de acquirenda possessione et notandum est, sim*plicem* possessionem vocari *naturalem*; qualificatam autem *civiliem*: et si nonnunquam utrumque vocabulum alio sumatur sensu et *naturalis* ex dictatur, quae corpore; *civilis* vero, quae solo fiat animo. De hac divisione nobis non est sermo; illam autem alii saepius in dubium vocarunt HAHN, de poss*s*. thes. 8. et PETR. MULLE*r*VS, ad Struu. syntagm. iuris civilis, tom. I. p. 138.

**) VALENTIANVS ET VALENS imperatores L. 2. C. de pra*script* 30. annor. aiunt: eos autem poss*s*ores non conuenit adpellari, qui ita tenent, vt ob hoc ipsu*n* solitam debeat praefare mercedem.

***) Denegat quidem depositario naturalem possessionem PETR. MULLE*r*VS, ad Struu. syntagm. iuris civil. tom. I. p. 140. sed sine iure,

****) Eadem ratione usufructuario solam possessionem adsignamus *naturalem*, ex L. 1. pr. D. de adquir. vel am. poss*s*. ac I. §. 5. D. de vi et vi armata. BRVNNEMANN ad L. 12. D. de am. vel adquir. poss*s*. STRUVV, syntagm. iur. civil. ex. XLII. thes. 7. ac per illustr. 10. AYU, KELLFIELD, iurisprud. forens. libr. I. tit. VIII, §. 180.

§. III.





5

§. III.

Qualis possessio intelligatur.

QVV M ex his satis abunde pater, mihi in praesenti possessionem esse, quam alio possessionem qualificatam nominant, videamus, in quo consistat, siue quomodo acquiratur. In l. 3. D. de acquirend. vel amittend. poss. dicitur illam animo et corpore simul acquiri, nec per se animo et corpore*). Possessio corporalis fiat, quia, ut iam supra (§. I.) dictum est, res non apprehensa videtur esse nullius. Possessio animi requiritur, quia solum factum possessionis non dat veram possessionem, alias enim quemlibet latronem aut furem iure possidere affirmandum foret. Sub animi vero possessione intelligimus, si possessio non aliter putet, quam iuste se possidere, siue ita possidere, ut contra turbatorem in iudicio vel hanc ob caussam rite se possit defendere, quia possessio nullo virio laborat. Et, ut breuiter dicam, animo possidet, qui rem sine vlla controversia nec vi, nec clam, nec precario accepit. Non enim videtur, iure romano, possessionem adeptus is, qui ita naetus est, ut eam retinere non possit. l. 22 D. de acquirend. vel amittend. poss.**).

*) Non obstat L. 1. §. 21. D. de adquir. vel amitt. poss.

**) IAC. MENOCHIVS, de adipiscenda, retinenda et recip. poss. Geneu. ccccxxix.

§. IV.

An duo aduersarii simul rem eamdem possidere possint.

SED fortasse dicet quispiam, aduersarium rem ita tenere

A 3

posse,



posse, ut in actu quo possessionem corporalem incipit, nulla ipsi controvertia moueat, licet ego sim verus possessor, deoque duos aduersarios simul rem eandem possidere posse. Sed bona causa est. Iure enim romano requiritur, si alius, qui non est dominus, possidere velit, siue interdicto, *vti possidetis*, gaudere, ut possessio ipsius non sit vitiosa siue iusta. In interdicto enim illo aperte dicitur: *nec vi, nec clam, nec precario possideat.* His vitiis vero remotis iusta est possessio. Si vero est iusta possessio, alterum interdicto, *vti possidetis*, omnino a possessione excludit, licet sit dominus, quia huic non nisi petitorium restat, et ille ratione possessionis plus iuris habet *).

*) Duo vnam eamdemque rem in solidum haud possunt possidere obser-
uantre PAVLLO, L. 3. §. 5. D. de adquir. vel amitt. possess. s a m. de
cocebit, iur. controv. libr. XLII. tit. II. quaest. 5. eleganter
hanc legem explicat.

§. V.

*Possessio vitiosa verum possessorum possessione
non priuat.*

Quod vero in foro etiam illi, qui vitiosam possessionem habet, si tantummodo actum quietum probat, detur processus possessorius summarissimus, hoc nihil ad rem facit. In ipso enim illo processu requiritur, ut vitium non nimis eluceat, alias enim statim ille remouetur. Licet vero etiam qui vitiosam possessionem habet, in summarissimo possesso-
rio obtineat, non tamen verus possessor amisit possessionem,
quia

quia ipsi restat ordinarium possessorum iudicium. Hoc vero ex possessione ortum suum trahere neminem fugit. Si igitur adhuc ex possessione remedium datur, certe illam non amisisti.

§. VI.

Quare vitiosa possessio non sit vera possessio.

QVM igitur ad veram possessionem non corporalis sufficiat, sed animi possessio accedere debeat, quae iustum causam possidendi dat et sine omni vitio est: sequitur sane illum nullo modo adeptum esse veram possessionem, qui clam vi aut precario possidet. Qui enim vi aut clam possidet, in dolo est, iura vero dolosis non succurrunt. Quid tamen damni ipsi domino interdum afferre possit, si aduersarius vi aut clam possideat infra (§. XI.) videbimus. Qui precario possidet, non qualificata, sed tantummodo simplici possessione gaudet, ideoque nudus detentor est. Vlpiano quidem *I. 4. D. de precario* videtur precario possidens possidere; attamen hoc tantummodo ratione tertii cuiusdam valet. Licet enim tantummodo naturaliter possidat, siue corporali possessione gaudeat: tamen propter hanc ipsam possessionem plus iuris habet, quam tertius *I. 1. §. 9. vti possidetis.* Ratione vero ipsius domini non putandus est possessor, quia ex domini arbitrio dependet, quamdui illum vti velit precario.

§. VII.

Quomodo retineatur possessio.

HACTENVS vidimus, quomodo acquiratur possessio sci-
licet



licet corpore et animo simul. Quod vero ad retinendam possessionem attinet, sufficit possessio animi. Ita enim l. 3. D. de acquir. vel am. poss. dicitur: *Etsi solo animo possideas, licet alius in fundo sit, adhuc tamen possides.* Ratio est, quia possessio semel acquisita non tam facile amittitur. Intelligitur vero hoc loco, si quis non relinquendae possessionis animo sed postea reuersurus inde discesserit, quia absens non potest resistere. §. 6. *Instit. de interdictis*, l. 6. D. de acquirenda vel amitt. possessione *).

*) REINH. BACHOV, ad Trentler, vol. II. part. II. disp. XXI. p. 247.
HVG. DONELLVS, libr. V. comment. 12. cum aliis.

§. VIII.

Emolumenta possessionis secundum ius romanum.

EMOLUMENTA possessionis certe quamplurima sunt, veluti 1) quod possessor non debeat probare titulum possessionis 2) quod in pari causa melior sit conditio possidentis, et alia quamplurima, quae omnia hic adducere non iutabit. Itaque illud adduxisse sufficiat, illum, qui non vitiosam possessionem habet, iure romano interdictis vti. Quod quidem emolumentum permagnum esse, vel ex eo apparet, quod interdicta omnia summarie pertractabantur. Nam si quis in possessione turbaretur, petitione ab ipso facta, praetor statim interdictum *vti possidetis* dabat, si modo possessionem iustum, siue nec vi, nec clam, nec precario adeptus esset, quia interdictum *vti possidetis* haec tria via abhorret. l. I. D. *vti possi-*

❀ ❁ ❂ ❃ ❄

9

posseditis. Similiter si aduersarius vim atrocem adhibuit, qua
tibi possessionem ademit, interdictum praetor dat *de vi et vi
armata*, quo facto aduersarius possessionem restituere coge-
batur. *I. I. S. 3. et 24. D. de vi et vi armata **.*

**) Copiosius illud exponunt PETR. MULLERVS ad Stran. loc. citat.
tom. III. p. 158. WOLFG. AD. LATERRACHIVS, colleg. theor.
et practic. tit. de adquir. vel amitt. possif. §. 32. tow. III. p. 260, 10.
GEORG. FICHTNER, de possif. communidis, Altorf. CICIOCCXI.
AC PETR. MULLERVS, in disp. beati possidentes inscripta, Ienae,
CICIOCLXXXVII.

§. IX.

Emolumenta possessionis secundum ius hodiernum.

LICET interdicta in sensu iuris romani hodiernis tem-
poribus non valeant; vtimur tamen remedii his quam simili-
mis. In foro enim illud adhuc obseruatur, quod de posses-
sione speciatim liceat agere, sine vlla mentione dominii facta,
sive quod possis iudicium possessorium instituere, vbi de sola
possessione agitur. Constat vero inter omnes dupli modo
hoc fieri. Vel enim quis agit ope possessorii ordinarii; vel
summarii; aut summarissimi. Vtraque remedia ex vera sive
animi possessione oriuntur. Licet enim in foro etiam is, qui
vitiola possessione vtitur, summarissimo possessorio gaudeat,
rerum tamen, vt iam supra (§. 5) dictum est, hoc valde est
restringendum, et verus possessor non amittit possessionem,
quia adhuc ordinario possessorio gaudet. Vero possessori
autem tum ordinarium tum summarissimum possessorium
datur. Summarissimum instituit, si non modo antiquiore

B possel-

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

possessione; sed etiam nouissima fruatur. In summarissimo vero non solum id commodi habet, quod omnia breuissime expediantur, sed etiam vnicus testis ratione probationis sufficit. Possessorum ordinarium verius possessor instituit, si de antiquiore possessione, exclusa nouissima, agendum sit. Licet vero ratione fatalium possessorum ordinarium eadem, quae ordinarium petitorum iudicium requirat, ideoque fortasse nullius emolumenti esse videri posset: tamen multum iuuat, quia separatim de possessione agitur, et possessionis probatio non tam difficultilis esse solet; quam probatio dominii*).

*) IO. POLLESIVS, *de indicij petitorii ac possessorii, uti et possessorii ordinarii ac summarii differentia*, Francof. et Lipsiae, 1761. ERND.
AVG. HOMMELIVS, *questionibus de processu possessorio summarissimo*, Lipsiae, CICIDCCXLVIII. et porissimum IO. HENR.
BERGER, *in electis processus possessorii*.

§. X.

Quomodo inuitus quis amittat possessionem.

Q V V M igitur tot tantaque sint commoda, quae ex possessione ordinarie oriuntur: tanta maiore cura considerandi sunt casus, quibus possessori illa denegantur ideoque ille reuera ex legum sententia non possidet. Eorum sunt quinque et quidem sequentes: 1) si quis vim maiorem veritus redire nolit: 2) si res furto ablata est: 4) si quis rem perdidit et ignorat ubi sit: 4) si seruus fugitiuus a tertio possideatur: 5) si praetor quem in rerum nostrarum possessionem misit

Quo-

Φ Σ Ζ Ζ Ζ Ζ

Quomodo igitur hi casus intelligendi sint, age, paucis ostendere studeamus.

§. XI.

Primus casus, ubi inuitus amittit possessionem.

PRIMVS casus est, si quis vim maiorem veritus redire nolit. Ita enim PAVLLVS l. 7. D. de acquir. vel amitt. poss. dicit *): Si nolit in fundum reuerti, quod vim maiorem vereatur, amisisse possessionem videbitur. In lege praecedente sermo est de absente, cuius fundum tertius intravit, et dicitur: absentem retinere possessionem, tertiumque clam possidere, et si dominum reuertentem non admiserit, vi possidere. Itaque dominus reuertens, si a tertio impediatur, possessionem recipere potest: immo debet omnem vim adhibere, ut tertium deiiciat, nec statim metu perterritus effugiat. Dubium enim adhuc est, num alter in possessione defendere possit, et dominus recte alterum aggreditur, quia adhuc in possessione est. l. 6. D. de acquir. vel am. poss.

* Sumta est haec lex ex libr. LIV. ad edictum, ex quo etiam delibata est l. 3. D. de adquir. vel am. poss. neque dubium est, quod cohaeserint duae hae leges in libro PAVLLI, quam potissimum in vtrahac lege disputandi argumentum ita tractat, ut simul exponat, quid alii scriptores de eo senserint. Discimus itaque nostra ex lege, placuisse sententiam, quam adprobat hoc loco PAVLLVS, NERATIO PRISCO hocce iterum in coniecturam nos trahit aliis id dislocuisse. Colligimus illud partim ex dicendi formula videtur, quam veteres in primis in rebus dubiis ac controversiis adhibebant, obseruante EVERARD. OTTONE, in vit. Papiniani, cap. XV. p. 559. partim ex eo, quod ad NERATIVM prouocet.

B 2

§. XII.

¶ ¶ ¶

§. XII.

Fundamentum amissionis possessionis est omissione moderaminis inculpatae tutelae.

FUNDAMENTVM igitur siue causa, ex qua hoc loco amissio possessionis deriuanda est, siue dubio est omissio moderaminis inculpatae tutelae. Nam si alter me meaque inuidit, et non adeat auxilium iudicis, permisum est moderamine inculpatae tutelae vti. Licet enim hodiernis temporibus, cum maxima pars hominum in ciuitate siue potius sub imperio ciuili vitam degat, vindicta priuata vti non liceat, quia subditi singuli iuri laesiones ab alio datas vindicandi renunciarunt, et in principem ius puniendi deuoluerunt: tamen id omnino ita intelligendum est, si princeps, siue loco principis iudex ab eo constitutus, ius puniendi exercere possit laesoque succurrere, facultate vero succurrenti ratione iudicis remota, laesus in statum naturalem rursus incidit sequre ipse defendit. Iudex enim tamdiu iudex est, donec potest et vult ius dicere, et tum omnino est diffidatio si quis iniuriam sibi datam ab altero vindicare velit, cum tamen possit iudicem adire, ideoque leges romanae inter alia statuunt, ut is, qui propria auctoritate sibi ius dicit, ius amittat. *l. 7. C. unde vi.* Si vero iudicem adire non possis, omni iure, si res moram non patiatur, tibi ipse ius dicis, quia tunc non sit in contemptum iudicis sed ob summam necessitatem. Itaque etiam hodiernis temporibus, si res postulat, permittitur moderamine inculpatae tutelae vti. Sententiae vero huius veri-

veritatem inter alia probat l. 7. §. 27. *D. de vi et vi armata,*
vbi dicitur *vim vi repellere licere.* His verbis quid potest esse
clarius et paullo post sequentibus: *armata armis repellere*
licere.

§. XIII.

Moderamen inculpotae tutelae etiam locum habet, si
quis res nostras nobis eripit.

SED fortasse quis dicere poterit, moderamen inculpatae
tutelae quidem ratione vitae tuendae locum habere posse;
non vero ratione rerum in patrimonio existentium quod
tamen minime se ita habet. Qui enim vera possessione gau-
det, gaudet iure illam retinendi, et alter obligatus est ut il-
lum in quieta possessione non turbet, si vero turbat alter pos-
sessor gaudet iure bellandi, et quamdiu alter resistit se defendi-
endi, et si aliter fieri non potest, alterum occidendi. Ag-
gressor scilicet hic est in culpa, quia violenta aggressione usus
est. Itaque prudenter etiam de fure diurno l. 4. §. 1. *D. de lege*
Aquilia dicitur: illum occidere licere si telo se defendat. Et
quid clarius est l. 1. *C. unde vi.* In hac lege ita dicitur:
Recte possidenti, ad defendendam possessionem, quam sine
vitio tenebat, inculpatae tutelae moderatione illatam vim pro-
pulsare licet. Attamen quemadmodum ratione moderaminis
inculpatae tutelae alias requiritur, ut in continentia fiat, et
non ex interuallo, quia alias non esset iusta defensio, sed
violentia aggressio: ita idem valet ratione possessionis vi

B 3

ereptae



ereptae etiam vi recuperandae. Si enim iam aliquid temporis praeterlapsum est, debes iudicem adire, ut alterum ob violentam aggressionem poena afficiat. Ratio est, quia, cum non in ipso actu turbationis restitisti, alter iam in quieta possessione est, et quilibet sibi propria auctoritate, si non est periculum in mora, ius dicere prohibetur. Requiri vero ut in continenti fiat depulsio probat l. 3. §. 9. de vi et vi armata vbi ita dicitur: *Eum, qui cum armis venit, possimus armis repellere; sed hoc confessim non ex interuallo. Dummodo sciamus non solum resistere permisum, ne deiiciatur: sed et si diectus quis fuerit, eundem detinere non ex interuallo; sed ex continenti.* Itaque statim utraris moderamine inculpatae tutelae, si in possessione turbaris ab altero, quia postea non est permisum et possessio est amissa.

§. XIV.

*Qui moderamine inculpatae tutelae non vititur
videtur in mala fide esse.*

IAM vero paullo accuratius dispiciamus, quomodo quis ob intermissionem moderaminis inculpatae tutelae possessione priuari possit: ut iam supra (§. 13.) dictum est, qui in ipso turbationis actu alteri non resistit, facit, ut possessio illius sit quieta, et alter habeat aliquid, quo possessionem in iudicio defendere possit, scilicet actum possessorium quietum. Licet enim verus possessor dicat, se metu commotum possessionem deseruisse, hoc tamen nihil ad rem facit, sed videtur rem dere-

dereliquisse, quia quum ipsi permissum esset, vim vi repellere, noluit hoc favore pro se introducto uti. Videtur tunc omnino verus possessor ratione possessionis in mala fide esse et alter in bona fide, quia qui, solum minis ab altero factis, possessionem rei alicuius, quam defendere potest, metu conterritus deserit, fuga indicare videtur, praedonem se esse, ideoque conscientia terrefactum, rem deserere, ne ab altero capiatur, et iudici, ad poenam sustinendam, tradatur.

§. XV.

Limitatio.

QVICQVID vero de resistentia a vero possessore, qui possessionem retinere cupit, necessario facienda dicimus, ita intelligimus, si ope resistentiae rem possit recuperare; si vero vis nimia foret, et spes possessionis recuperandae cum ipsis vitae aut membrorum corporis amissione coniuncta esset; sane aliud dicendum foret. Nam qui sine tali periculo possessionem non potest recuperare, is minime animum animum possidendi videtur amisisse. Ita enim l. 17. D. de acquir. vel am. poss. dicitur: *Si quis vi de possessione deiectus sit: perinde haberi debet, ac si possideret: cum interdicto de vi recuperandae possessionis facultatem habeat.* Haec lex intelligit eiusmodi atrorem vim, cui resistere quis non potest, quia dicit: *si quis vi deiectus est.. Vi deiectus esse enim videtur is, contra quem vis atrox adhibita est l. 1. §. 3. D. de*



vi et vi armata. Quicunque igitur tali modo deieci sunt, non amittunt possessionem, sed interdicto de vi illam recuperant.

§. XVI.

Quid in foro valeat.

IN foro ille, qui armata vi alterum deiecit, non gaudet processu possessorio summarissimo, cuius ope in possessione maneat. Nam in possessorio summarissimo requiritur, ut praeter actum turbationis actum quietum possessorium habeas, quia actus turbationis non pro actu possessionis haberi potest. Summarissimum enim possessorium ideo inuentum videtur, ut possessor, qui tamen aliquam, licet minus solennem probationem iuris possidendi adducit, in possessione maneat. Itaque si non plena, tamen aliqua probatio fieri debet, quia, si iniusta possessio nimis eluceat, possessione priuatur. Qui vero vi aliquem deiecit, nullam probationem habet, quia non gaudet actu possessionis quieto, sed solo illo turbatorio, qui tamen longe abest ut possessionem conferuet, ut potius grauiter in illum leges animaduertant, qui tali modo possessionem cupit consequi. Nam §. 7. *inst. de interdictis* aperte dicitur: Eiusmodi praedonem si armis deiecerit lege Iulia de vi publica, si vero sine armis deiecerit, lege Iulia de vi priuata teneri. Itaque ille, qui alterum vi deiecit, cui alter non potuit resistere, non in possessione manet; sed possessionem alteri restituere tenetur. Violenta, enim deiectione est cri-

crimen, quod non praemiis, sed poenis est afficiendum. Quid quod? etiamsi quis verus possessor sit, et alter aut clam aut vi aut precario possideat, si verus possessor illum vi deiciat, gaudet deiectus interdicto de vi et vi armata l. 14. **D.** de vi et vi armata. Ex quo sane elucet actum turbationis nemini possessionem dare; sed potius antea iustum eripere. Igitur nihil aliud de eo dicendum est, qui antea nulla possessione gaudebat, quam nunquam ipsum possessorem fuisse. Si vero possessor non est, certe etiam possessorio summarissimo uti non potest.

§. XVII.

Vindicatio domino restat.

ut igitur iam saepe dictum est, si nimia vis fuerit, non amittitur possessio. Alias vero, si poterat retineri, et verus possessor deici non exspectauit, sed profugit, possessionem amittit. Attamen non rem ipsam; siue potius ius in re perdidit, sed ipsi adhuc licet processum petitorum instituere, et ope rei vindicationis rem ab altero repetere. Nam in l. 24. **D.** de rei vindicatione dicitur: *Is, qui destinavit rem petere, onimaduertere debet, an aliquo interdicto posse nancisci possessionem.* Ex quo elucet, si interdictum non adsit, rei vindicationem in subsidium dari. In rei vindicatione vero, ut neminem fugit, dominium probes. Quanta vero quaeso difficultas est, si dominium probare debeas, quia inter alia indicandum est auctorem fuisse dominum? Licet vero

C

etiam



etiam omnia haec probare possis, tamen longo tempore re tua priuaris. Haec de primo casu, vbi quis inuitus possessionem amittit, dixisse sufficient, scilicet, si solo metu perterritus possessionem deserit.

§. XVIII.

Secundus casus vbi quis inuitus amittit possessionem.

ALTER casus est, si res furto ablata est. Ita enim l. 15. D. de adquir. vel am. poss. dicitur: *Rem, quae nobis surrepta est, perinde intelligimur desinere possidere, atque eam, quae vi nobis crepta est *).* Loquitur iurisconsultus hoc loco sine dubio de furto. Cognoscimus illud partim ex vocabulo *Subripio*, quod adhibet, quodue potissimum de furtis usurpatum **), partim ex eo, quod quidem in lege comparetur *res, quae nobis surrepta est cum ea, quae nobis vi est crepta ac per id tamen altera alteri opponitur.* Quum sur proprie sic dictus furtum committit clam ac fraudulenter, sine vi: delictum, quo vis adhibetur proprie non est furtum ideoque eo maiori iure adfirmari potest, sub re surrepta intelligendam esse rem furto ablamat. Non me fugit, vtroque in casu quidem spolium locum habere, si eo sensu id vocabulum sumimus, quem excogitarunt pontifices ac spoliatis ius canonicum succurrere, quod dicit: *Spoliatum ante omnia esse restituendum; verum enim uero propter furtum, quod non cum aliqua vi est coniunctum nullum datur interdictum sive remedium possessorum secundum ius romanum.* Si vero

nul-

nullum amplius remedium datur, certe ipsa possessio est amissa.
Quomodo enim quaeſo possessionem sine tali remedio rursus
acquirere poteris, quum vindicta priuata vti sit prohibitum?

*) Suntia hacc lex est ex CATTI libr. XXVI. ad edit. prouinciale. Dispauit iurisconsultus ibi de diuersis dicendi argumentis, vti reliquias ex legibus colligendum est, ex hoc libro delibatis et ab ABR. WIBLINGIO, iurisprudentia reflitusa, part. I. p. 15. indicatis.

**) Innumeræ sunt leges, quibus vocabulum hoc occurrit, quibusue sermo est de subrepta re: subreptis nummis: subreptis codicillis: subreptis hominibus, subrepta ancilla, cet. Collegit illas BARNAB. BRISSON, de verbor. significat, libr. XVII. p. 1282. edit. HEIN. NECCII. Eadem ratione legem de furto explicant: HVB. GIPHANVS, lectruris Altorphinis, p. 470. ET FRANC. RAMOS DEL MANZANO, ad tit. D. de adquir. vel am. poss. cap. 2. tom. VII. thesauri iuris civilis ac canonici GERH. MERMANNI, p. 99. cum aliis.

§. XIX.

Intelligitur hoc loco res mobilis,

INTELLIGI vero hoc loco rei mobilis ablationem, ecquis est, qui nesciat? Non definit quidem iurisconsultus rem, quae sit surripienda; eam tamen solum mobilem esse posse, colligimus ex eo, quod sit furtum, per quod illa sit auferenda. Furtum enim rerum immobilium fieri non potest, quia furtum in iure definitur: *Contrectatio rei alienæ.* HEINECCIVS vero in Institut. §. CCCXL. cum aliis iam dum animaduertit, *contrectationem esse rei motionem a loco**). PAVLLVS in l. I. D. de furtis putat, furtum nomen trahere



a ferendo **). Immobilium igitur nullum fieri potest furtum, quia non possunt a loco moueri. Praeterea possunt mobilia arctius custodiri immobilibus.

*) Confirmant hoc L. 3. D. de act. rer. amotar. L. vlt. D. de condic. furtiu. L. 3. §. 18. D. de adquir. possess. ARNOLD. VENNIVS, comm. ad insit. libr. IV. tit. I. tom. II. p. 250. ET BARNAB. BRISON, loc. cit. p. 263.

**) Alii deriuant furtum a furvo: L. I. D. de furt. IAC. CVIACIUS, libr. VI. obs. cap. 2. etiam originem huius verbi deriuat a ferendo; sed ab eo deflectit AEG. MENAGIUS, amoenitat. iur. cap. 39. p. 286.

§. XX.

Fundamentum amissionis possessionis est negligentia.

ETSI certa ratione possessor is adhuc est, cuius res est surrepta; intelligitur tamen desinere possidere, vt in lege nostra traditur. Ratio eius pro parte in eo est ponenda, quod non amplius rem teneat *); verum tamen fundamentum, ex quo hoc loco deriuanda est amissio possessionis rerum, quae nobis surreptae sunt, sine dubio est negligentia. Magnae enim est negligentiae signum, si rerum ne tantam quidem curam habeas, quantam a bono patrifamilias leges requirunt. Occasio enim, vt vulgo dicitur, facit furem, et qui res suas male custodit, ipse in culpa est. Non loquor, vt iam saepe a me dictum est, de tali furto, ubi res mihi vi eripitur, sed de furto, quod sine

vi perpetratur, et in sola motione rei a loco in locum
conficit.

*) CIPHANIYS, loc. laud.

§. XXI.

*In negligentes leges romanae animaduertunt, quod
probatur i) ex vsucapione.*

LEGES vero romanae in negligentes valde animaduer-
tunt. Quod quidem ut paullo clarius eluceat, quaedam ex-
empla adducamus. Si enim vsucaptionem et praescriptio-
nem paullo accuratius considerabis; non potes non conce-
dere, negligentiam romanis valde odiosam fuisse, quia ob
negligentiam inuenta est vsucapio. Licet enim eius finis sit,
ut dominia certa sint, siue ut rem bona fide, licet alienam,
occupans certo aliquando scire possit, rem suam esse, et non
semper anxie vereri debeat, an fortasse in alterius dominio
sit; tamen praecipue etiam negligentiam domini vsucaponis
caussam esse constat. Nulla quoque domino iniuria sit, quia
res tamdiu non occupata, pro derelicta haberi potest. Ne-
gligentiae caussa etiam vsucaptionem introductam esse, pro-
bari potest ex l. i. D. de usurpationibus et usucaptionibus ubi
ita dicitur: *Bono publico usucapio introducta est, ne scilicet
quarundam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent,
cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti tempo-
ris spatium. Verba statuti temporis spatium sufficere ostendunt
certe negligentiae caussa usucaptionem introductam esse.*

C 3

Si



Si enim accurate consideres, quomodo sit intelligendum, si quis tibi dicat, se tibi tantum temporis ad opus aliquod perficiendum concedere, quantum sufficere purat: factendum tibi est certe, illum eo ipso ostendere, te, si in destinato tempore rem non perficias, negligentiae esse accusandum. Similiter si in lege hac dicitur: sufficere domino ad res suas inquireendas statuti temporis spatium, eo ipso ostenditur, dominum, si intra hoc temporis spatium rem non repetit, negligentiae reum esse.

§. XXII.

2) *Ex contractu chirographario.*

NEGLIGENTIAM Romanis valde perodosam fuisse ideoque poenae subiectam, probari potest porro ex contractu chirographario. Scilicet si quis chirographo se ex mutuo debere confessus est, idque intra biennium non retrahuit, ex his ipsis literis obligatur, et conueniri potest quamvis pecuniam non acceperit. §. un. *Institut. de literarum obligationibus.* Nec post biennium, si opponatur exceptio non numeratae pecuniae, et etiamsi reus onus probandi in se suscipere velit, pecuniam sibi non esse numeratam, liberatur a solutione, sed creditor i datur condic^tio ex chirographo l. 14. C. de non numerata pecunia. Quodnam quæsio clarius testimonium potest adduci, negligentiam a Romanis poena affici, quam hoc? Secundum ius naturae enim, siue secundum ipsam rationem pecuniam, quam non accepisti, redere

dere minime debes, et hic tamen cogeris, etiam si probare velis, te nunquam ab altero pecuniam accepisse. Ratio est, quia tibi imputandum est, quod chirographum non repeteris, et alter quasi substantiale huius contractus, siue id, quo conficitur hic contractus, in manibus habet, scilicet chirographum, in quo debitor fatetur, se debere pecuniam. Biennium hic rursus tale statutum tempus est, ut tempus usucaptionis. Quemadmodum igitur, qui tempore in usucapione definito non vindicat res suas, negligentiae est accusandus; ita de eo, qui intra biennium non repetit chirographum, idem dicendum videtur *).

*) BARTHOL. LEONH. SCHWENDENDORFER, *de exceptione non numeratae pecuniae.* Lipsiae, CIOICCLXXIII. ET NIC. HIERON.
GUNDLINGIVS, in Gundlingianis. part. XXXX, art. 2.

§. XXIII.

3) Ex l. 3. §. 18. D. de acquir. vel amitt. poss.

DENIQUE probat l. 3. §. 18. D. de acquir. vel. amitt. poss. negligentes iura sua amittere. In hac lege enim dicitur: *Si rem apud te depositam furti faciendo causa contractaris, desino possidere.* Nam in culpa sum, si tales depositarium eligo, de quo non certo scio, illum mihi rem depositam saluam redditur. Depositum enim, quod sic dictis sanctis annumeratur contractibus, amicum, in quo fiducia ponit possit, requirit. Qui enim deponit rem, vult,

vt



ut ab invasione et raptu maleuolorum hominum remoueatur.
Qui vero hoc intendit, ibi deponat rem, vbi talem custo-
diam adesse certus est, id est, apud amicum, cuius fidem
bene perspectam habet. Si quis igitur hac cautela non vta-
tur, et depositarium eligit, sine habitu respectu, num bene
an male rem depositam custodiat, ille certe valde negligens
est, ideoque omni iure priuatur possessione.

§. XXIV.

*Domino restat actio furti, condicō furtiva
et rei vindicatio.*

NON tamen dominus omnem actionem amittit, siue
re ipsa non priuatur. Contra furem enim dantur actio furti,
condicō furtiva, et rei vindicatio. De actione furti, quia
mere penal is est, hoc loco nihil dicere iuuabit. Rei vin-
dicationis ope, vt neminem fugit, dominus rem ipsam a reo
petit. Quum vero fures raro rem diu apud se detineant,
sed aliis vendant, quia lucrificiendi caussa furtum commit-
tunt; praefat tunc condicō furtiva vi. Dominus vero
ope huius actionis etiam aestimationem rei accipit. Haec
de altero casu, vbi quis inuitus possessionem amittit, dixisse
sufficiant *).

* IO. ORDVIN. WESTENBERGIVS, princ. iuris secundum ordin.
digest. libr. XLIII. tit. XVI. §. 4. p. 640.

§. XXV.

§. XXV.

Tertius casus, vbi quis iniuitus omittit possessionem.

TERTIUS casus, vbi quis iniuitus omittit possessionem, est: Si quis rem perdidit et ignorat, vbi sit. Ita enim dicitur: *l. 25. D. de acquir. vel amitt. poss.* *Si id, quod possidemus, ita perdiderimus, vt ignoremus, vbi sit: definimus possidere.* Haec lex vero ex mea sententia sic intelligenda est, si quis rem extra domum in via perdidit. Si enim ex domo ipso ablata est, non potest proprie dici, eum rem perdisisse; aut amisisse; sed potius ipsi subrepta est. Perdere enim proprie significat, rem ex obliuione et negligentia e custodia sua amittere, et quidem ita, vt quilibet eam occupare possit. Hoc vero de re, quam in domo quis afferuatam habet, affirmari minime potest. Res enim, quae adhuc in domo tua est, in custodia tua est, ideoque tum corporalem tum animi possessionem habes. Negare quidem nolo, quemquam obliuionem rerum in domo contentarum tenere posse, scilicet vt ignoret, vbi locorum latitent, sed tamen tunc minime rem perdidit. Possessor enim domus est ideoque omnium rerum suarum, in ea contentarum, quia parum refert, an dominus sciat, in quoniam loco domus res latitet. Nam *l. 3. §. 13. D. de acquir. vel am. poss.* aperte dicitur: *Res mobiles, quatenus sub custodia nostra sint, haec tenus possideri.* Nam simulatque pecus aberrauerit; aut vas ita exciderit, vt non inueniatur, protinus definere a nobis possideri,

D

licet



licet a nullo possideatur. Dissimiliter atque si sub custodia mea sit, nec inueniatur: quia praesentia eius sit, et tantum cessat interim diligens inquisitio. Itaque si tantummodo in domo existit res, manet possessio apud dominum, quia neque corporalem, neque animi possessionem illum amisisse, vlo facto probari potest.

§. XXVI.

Intelliguntur hic tantum mobilia.

Qv' m igitur rei amissio proprie sic dicta extra domum in via, vel licet etiam in domo fiat, non tamen in locis, vbi rem occludere potes, locum habeat: vnuusquisque facile videt sola mobilia aliquem tali modo amittere posse, vt ignoret, vbi sint. Licet enim etiam immobilia aliquis in absencia tua intrare possit, tamen eorum possessionem non perdisti, quia, si redis, moderamine inculpatae tutelae vti licet, si te nolit alter admittere, quia non ex negligentia tua factum est, vt alter fundi possessionem arriperet. Accedit, quod ratione immobilium non ignores, vbi sint et a quonam possideantur, et tunc statim alterum a fundi possessione possis detrudere. Mobilia vero abscondere quis potest, ideoque nescis, an possideat; nec ne.

§. XXVII.

Fundamentum, quare possesso amittitur, est negligentia.

FUNDAMENTVM igitur, quare si rem perdisti, et igno-

ignoras vbi sit, possessio amittatur etiam sine dubio est negligentia. Longe remoti sumus eorum a sententia, qui sibi persuadent, rationem solum in eo esse ponendam, quod qui rem perdidit, eam adprehendere nequeat *). Vigilantibus potius iura sunt scripta, qui vero tam male de custodia rei suae est sollicitus, certe vigilantibus non est annumerandus. Quid quod? maior adhuc negligentia hic occurrit, quam si ex negligentia nostra nobis res subrepta est. Nam saepissime etiam earum rerum furtum fit, quae in domo valde absconditae sunt, et licet non maxime absconditae sint, tamen eo ipso, quia in domo continentur, aliquo modo in custodia sunt. Si vero rem in via perdo, certe nullo modo eam e custodia mea eruptam esse affirmari potest. Itaque nullum in iure romano datur remedium, quo possessio rei ita amissae recuperetur. Nullum enim exstat interdictum, quod possessori rei amissae iniungat, ut domino possessionem restituat.

*) GIPHANIVS, lector. Altorphin. p. 484.

§. XXVIII.

Possessio transit ad inuentores. Eorum diuisio.

QVV M igitur, qui tali modo rem perdidit, possessione priuetur; certe nullum est dubium, quin possessio ad inuentorem transeat. Quod vero ad inuentorem spectat, duplice modo considerari potest. Vel enim bona; vel mala fide rem inuentam accepit. Bona fide accepit, qui nescit cuiusnam

¶ ¶ ¶ ¶

sit, et putat se esse dominum. Mala fide vero accepit, qui verum possessorem non ignorat. Vterque possessionem acquirere potest. Non loquor de dominio, sed de possessione, quae omnino ab utroque acquiritur. Licet enim is, qui mala fide possidet, vitiosam possessionem habeat, cui praetor non adfisit: tamen hoc tantummodo valet, si vitiosam possessionem habens ratione mobilium interdicto *Vtrabi uti vellet*, si a vero possessore turbatur, quod ipsi minime datur, quia verus possessor etiam ratione possessionis meliore iure gaudet. Hic vero ut aperte dicitur *I. 25. D. de acquir. vel amitt. poss.* verus possessor desinit possidere. Cum vero desierit possidere, eo ipso ratione possessionis non gaudet meliore iure.

S. XXIX.

Quid de bonae fidei possessore dicendum sit.

*Q*via bona fide rem inuentam accepit, iustum omnino possessionem habet. Iusta enim possessio est, quae titulo aliquo nititur; inuentio vero est iustus titulus. Res enim tamdiu alterius esse fingitur, quamdiu signum apparet, ex quo cognoscatur, rem non amplius nullius, sed in alicuius domino esse; (*§. I.*) quomodo vero scire quis potest, cuius res, quae in via inuenitur, sit, quia in custodia eius, quae ratione mobilium est signum dominii, non amplius est.

S. XXX.

§. XXX.

Quid de eo, qui mala fide accepit, valeat.

Qui rem, quam alter perdidit, inuenit et mala fide accepit, quum sciret eam alterius esse, tamen etiam domino possessionem aufert. Nam, vt iam saepe dictum est, dominus desinit possidere, qui vero mala fide accepit, licet non vere possideat, quia animo non possidet, id est, credit, se dominum esse; tamen gaudet corporali possessione, ideoque licet vitiosam, tamen aliquam habet possessionem, et possessio liberat ab editione tituli possessionis. Immo etiam fieri potest, vt malae fidei possessor rem alienet, tum vero ille, qui rem bona fide emit, sit bonae fidei possessor, et res, bona fide acquisita, praescriptione longissimi temporis, usu capi potest. *Vid. pr. tit. Instit. de usucaptionibus.*

§. XXXI.

Domino restat vindicatio.

QVAE quum ita sint, unusquisque facile perspicere potest, eum, qui rem ita perdit, vt ignoret, vbi sit, amittere possessionem, ideoque remeja ex possessione oriunda. Et licet postea ipsi innotescat, quis rem suam possideat, tamen non reuiuiscit ipsius ius possidendi, quia iam desit possidere. Attamen dominium rei non perdidit *); sed vindicatio ipsi restat, cuius ope rem a quolibet, tum bonae, tum malae fidei possessore vindicare potest. Reivindicatio enim,

ut neminem fugit, contra quemcumque possessorem datur. Qui vero vindicat, debet dicere argumenta rei, siue designare rem, ut appareat, an reus possidat, et probare reum rem possidere. Praeterea si tertius rem bona fide accepit dominus intra definitum tempus rei vindicationem instituat, quia tertius possessor alias usucapere potest, et tum etiam vindicatione vti domino non licet, ideoque dominio priuatur. Tantum de tertio casu, vbi quis inuitus possessionem amittit, dixisse sufficiat.

*) Haec est differentia inter amissionem ferae bestiae et alterius rei.
Illa si quis perdit, priuatur dominio L. 1. §. 1. D. de acquir. poss.
minime autem id euenit, vbi aliam rem perdamus. GIPHA-
NIVS, loc. citat.

§. XXXII.

Quartus casus, vbi quis inuitus amittit possessionem.

SEQVITVR iam quartus casus: si seruus fugitiuus a tertio possideatur. Ita enim dicitur l. 15. D. de acquir. vel amitt. poss. Seruum fugitiuum videmur possidere: quod is, quemadmodum aliarum rerum possessionem interuertere, ita ne suam quidem potest. In verbis praecedentibus scilicet huius legis dicitur: Si is, qui in potestate nostra est, subripuerit: quamdiu apud ipsum sit res, tamdiu non amittimus possessionem, quia per huiusmodi personas acquiritur nobis possessio. Itaque haec lex vult indicare, seruum, quemadmodum dum

dum si in fuga est adhuc, ne se ipsum quidem a domini po-
testate liberare potest, siue potius possessione, ita eum quo-
que res a possessione liberare non posse, quia serui apud ro-
manos nihil proprii habebant, nisi ipsis a domino datum
esset, sed omnia domino acquirebant. Quod vero lex di-
cat, seruum fugituum a domino adhuc possideri; eo ipso
indicare videtur non amplius fugituum, siue potius, qui
iam alio domino gaudet, non possideri, quia quemadmo-
dum rerum, ita etiam seruorum, qui rebus aequiparantur,
duo domini aduersari esse non possunt. Posse tertium ali-
quem serui possessionem acquirere, si tantummodo iusto ti-
tulo, siue bona fide emerit ex l. 40. §. 2. D. de acquir. vel
amitt. poss. probari potest. Nam cum in illa lege affirmetur,
te, si a tertio seruum alicuius domini bona fide emas, et tra-
ditum possideas, deinde cum comperisses, serui dominus
quis sit, ne dominus eum peteret, celare incipias, non ideo
hoc tempore clam videri possidere: eo ipso indicatur, te ve-
rum possessorem esse, ideoque ratione possessionis plus iuris
domino, habere.

§. XXXIII.

Quare seruus fugitiuus a domino adhuc possidatur.

Q u o d vero l. 15. D. de adquir. vel amitt. poss. dicatur:
nos fugituum videri adhuc possidere, ex eo venit, quia
serui non, vt aliae res, simulac e custodia nostra veniunt,
desi-

❀ ❀ ❀

desinunt possideri *l. 3. §. 13. D. de acquir. vel amitt. poss.*
 Caussarum vero quare seruorum possessio non tam facile amittatur, mihi duas videntur. Prima, quia qui multos seruos possidebat, apud romanos distissimis annumerabatur, ideoque lex Aelia Sentia manumissionem in fraudem creditorum prohibebat. Ne igitur dominus tam facile rebus sibi pretiosis priuaretur, leges romanae mihi videntur sanxisse tamdiu seruum a domino possideri, quamdiu fieri potest. Sed licet haec caussa etiam cuiquam non tam grauis videatur; tamen secunda est certe grauior: quia nemo sibi ipsi libertatem dare; aut se ipsum emancipare potest, sed emancipatio, quia quasi est de manu datio, ab ipso domino fieri debeat. Ita enim dicitur *l. 13. D. de acquir. vel amitt. poss. Fugitius idcirco a nobis possideri videtur, ne ipse nos priuet possessione *).*

*) SAM. DE COCCEII, iur. controu. libr. XLII. tit. I. p. 436.

§. XXXIV.

Fundamentum amissionis possessionis est negligentia.

SED iam e diuerticulo in viam redeamus. Amittitur possessio serui, si a tertio possideatur. Fundamentum huius amissionis etiam sine dubio est negligentia, quam romanae leges valde detestantur, ideoque nullum datur interdictum recuperandae possessionis. Summae enim omnino est negligentiae signum, si quis tam male de seruis suis est sollicitus, ut custodiam ipsius euadant. Nec est, quod domino iniuriarum

riam fieri dicas. Si enim nondum satis compertum habeat, an serui fugitiui sint, nec ne, probe facit dominus, si nonnisi ad ea opera perficienda seruis vtatur, quae in domo aut fundo peragi possunt, quia tunc sub custodia eius manent, ideoque non facile possunt effugere. Quid quod? Si dominus seruum ab alio emit, leges romanae ipsi, ope edicti aedilitii valde prospexerunt, quia in eo a venditore requiritur, vt inter alia vitia etiam indicet, an seruus fugitiuus sit; necne; si vero non indicauerit, emtor vtitur actione redhibitoria. Cum igitur leges romanae domino tantopere prospexerint, certe etiam voluisse videntur, vt dominus vigilantia sua dignum se praestet hoc fauore pro se introducto.

§. XXXV.

Dominio restat vindicatio.

QVI igitur bona fide seruum alterius possidet, plus iuris ratione possessionis quam dominus habet. Eo ipso enim, quod bona fide possidet, possessio eius non est vitiosa. Si vero non est vitiosa, in possessione manet. Non tamen dominium serui dominus perdidit, sed quemadmodum ratione aliarum rerum, ita etiam ratione seruorum amissa possessione non statim amittitur dominium, sed restat vindicatio, cuius ope dominus seruum ab unoquoque possessore vindicat. Quemadmodum enim si dominus ratione rei ex iure in re agit,

E

agit,



agit, vnuisque possessor ad restitutionem tenetur: ita
idem valet, si dominus seruum vindicet. l. 3. D. de fugitiis.

§. XXXVI.

An idem de hominibus propriis valeat.

LICET hodiernis temporibus non habeamus seruos in
sensu iuris romani, iis scilicet in locis, vbi christiana domi-
natur religio, vt christianus sit seruus christiani; tamen in
multis locis homines proprios habemus, ad quos, si non
omnia, quae de seruis romanis dicuntur, applicari possunt;
tamen id omnino applicandum est, quod non sunt personae;
sed res. Nam tum vindicantur, vt inter omnes constat, ab
vnoquoque, apud quem latitant, tum etiam, si non vbiique,
tamen in quibusdam locis, vbi homines proprii sunt, ven-
duntur singuli. Vindicatio vero et venditio non sunt pro-
pria personarum; sed potius rerum. Si igitur homines pro-
prii sunt res, ideoque quasi principali requisito seruorum ro-
manorum vntantur; merito etiam de iis affirmatur quod, si a
tertio bona fide possideantur, dominus eorum possessionem,
non vero dominium amiserit *).

*) D A V . M E V I V S , in dem Bedenken von dem Zustand, Abforderung
und verweiderter Abfolge der BauersLeute, Stralsundii 1656.

§. XXXVII.

Homines proprii libertatem ipsi praescriptione acquirunt.

HOMINES proprii etiam praerogativa quadam prae-
seruis

seruis romanis gaudent ratione possessionis domino adimendae: quod etiam ipsi fugitiui saepissime se a possessione domini liberare possint, quod tamen serui romani minime poterant. *l. 13. D. de acquir. vel amitt. poss.* Si enim homines proprii tamdiu, quamdiu leges requirunt, iis in locis commorati et ciuitatis ius adepti sunt, quae eum in finem priuilegiata sunt, ut libertas praescriptione acquiratur; ipsi se a possessione domini liberant ope praescriptionis, quia dominus tum non modo iure possessionis, sed etiam iure in re ideoque vindicatione priuatur *).

* Notanda hoc loco potissimum est praescriptio fatis nota libertatem seruo intra anni spatium adquires. Ea in tota fere Germania quondam obtinuit atque ita fuit comparata, ut nihil ad eam requiratur; quam quod seruus domini potestate sese subtraxerit atque in libertate per anni spatium manserit. Quum neque bonam fidem; neque iustum titulum in praescriptione nostrates poscerent ac in solo temporis adquiescerent lapsu, id haud est mirum. Conferas *10. GOTTL. HEINECCIVM, de praescriptione Lubecensi annali, Lubecae, c10 1000XXXIV. et CHR. GOTTL. RICCIVM, specimen de praescriptione Germanorum veteri et hodierna, Francofurti et Lipsiae, c1000XXXVIII.*

§. XXXVIII.

Quintus casus, vbi inuitus amittit possessionem.

QVINTVS casus, vbi quis inuitus amittit possessionem, est: Si praetor quem in rerum nostrarum possessionem mittit *l. 30. D. de acquir. vel amitt. poss.* In hac lege ita dicitur: *Cum praetor idcirco in possessionem rei iussit, quod damni*

E 2

non



non promittebatur: possessionem in uitum dominum amittere).*
Licet verba *damni non promittebatur* tantummodo videantur cautionis non factae mentionem facere, quia *damni non promittebatur* idem videtur significare ac si dixisset: *cautio non praestabatur*, ideoque solus casus, si ratione damni infetti quis cautionem facere nollet in hac lege contineri videatur: tamen etiam alii casus, vbi missio in possessionem fiebat, minime excluduntur, scilicet omnes ii, quorum gratia fiebat missio ex secundo decreto, quia etiam fugitiuus et latitans ratione damni, sive debiti cautionem facere nolle videatur, quia conueniri non potest, et actor tamen nullo modo scit, quomodo, quod a reo postulat, possit acquirere.

* Sententia haec est FAVLLI, quam L. 36. §. 2. D. de adquir. vel amitt. possess. profert; munitur tamen, vt non sine ratione notat, auctoritate LABEONIS.

§. XXXIX.

Quoiusplex sit missio in possessionem.

ITAQVE si praetor in possessionem mittit alium, ratione tui possessio amittitur. Attamen non omnis in possessionem missio adimit possessionem. Duplex enim, vt inter omnes constat, est in possessionem missio, l. 15. §. 16. D. de *damno infecto* alia sit ex primo, alia ex secundo decreto, sed missio ex primo decreto non adimit possessionem. Nam quum missio ex primo decreto tantummodo det pignus, non dat veram possessionem, quia pignus tantummodo est nuda de-

detentio, siue possessio corporalis sine animo sibi habendi.
I. 26. D. de pignoratit. actione, I. 12. D. quibus ex caussis in poss. eatur. Possessio enim ex primo decreto, vt iam dictum est, fit potius in securitatem actoris, non vero tam ad reum coercendum, ideoque reo non adimit possessionem, sed tantummodo fit, vt reus taedio affectus veniat et respondeat.


§. XXXX.

Missio ex primo decreto.

vt vero eo clarius eluceat, missione ex primo decreto dominum non priuare possessione, age eam paullo accuratius consideremus. Propter damnum infectum enim si quis in possessionem mittitur, dominum a possessione minime excludit, sed simul cum eo possidet. Nam aperte dicitur *I. 15.*
§. 20. D. de damno infecto. Si quis in possessionem missus, nondum possidere iussus sit: an dominus decedere possessione debeat, videamus, et ait Labeo, non decedere. Cum igitur dominus adhuc in possessione maneat: appareat solius custodiae et pignoris caussa alterum in possessionem esse missum. Si propter aliam caussam in possessionem ex primo decretomittimur, etiam rei custodia potius fit; quam vera possessio. Quum enim possessio ex primo decreto semper eundem finem intendat, et tantummodo in eo differat possessio ex primo decreto, quae fit propter damnum infectum, ab ea, quae propter alias res fit, quod illa tantummodo fiat in rem

E 3

fin-



singularem, ratione cuius scilicet damnum infectum veremur; haec vero in vniuersa debitoris bona: *I. i. D. quibus ex caussis in poss. eatur vnuquisque facile perspiciet ratione possessionis ex primo decreto*, quae fit ob alias res etiam dominum non priuari possessione. Probatur hoc quoque ex *I. i. §. 20. D. de damno infecto* vbi verbis, iam in hac paragraphe adductis, additur: *Sicuti nec cum creditores vel legatarii mittuntur.* Sed quid multa opus est probatione, missionem ex primo decreto non adimere possessionem, cum id solum sufficiat ad conuincendum, quia nudus detentor est, qui ex primo decreto mittitur.

§. XXXXI.

Missio ex secundo decreto.

QVVM igitur missio ex primo decreto inuitio non adimat possessionem: age consideremus eam, quae datur ex secundo decreto. Si propter damnum infectum in possessionem ex secundo decreto mittimur: dominium vsucapione acquirimus. Ita enim dicitur: *I. i. §. 16. D. de damno infecto.* *Qui in possessionem damni infecti nomine mittitur, non prius incipere per longum tempus dominium capere, quam secundo decreto a praetore constitutus.* Si igitur ex secundo decreto in possessionem missus vsucapere potest: per se intelligitur, eum, ab illo tempore, quo mittitur, iam in vera possessione esse debere, quia res bona fide non possedas vsucapere non possumus. Si in possessionem ex secundo decreto

creto ob alias caussas mittimur, quod fit, si debitor latitet, et quidem ex fraude latitet, nec defendatur, etiam dominium accipimus, quia res vendere licet. l. 7. §. 1. et 2. *quibus ex caussis in possessionem eatur.* Si vero dominium accipimus, certe dominus priuatur possessione *).

*) Differentiam inter utramque missione copiosius ostendunt: **HVL-**
DERIC., ab EYBEN, *de missione in possessionem maxime ex primo et*
secundo decreto, Giessae, 1673. **IO. GRAVE,** diss. *de missione in*
poss. ex primo et secundo decreto, Tübinger, 1671. ac **ERNEST.**
THEOPH. MAYERVS, *de missione in bonorum possessionem ex primo*
et secundo decreto, Tübinger, 1712.

§. XXXXII.

Fundamentum, quare amittatur possessio, est contumacia.

QVVM igitur sola missio ex secundo decreto possessionem adimat: operae pretium erit, vt paullo accuratius dispiciamus, ex quonam fundamento; siue ex qua caussa hoc fiat. Siue missione ex secundo decreto ratione damni infecti; siue etiam ratione aliarum rerum, accuratius consideres, inuenies contumaciae caussa eam fieri. Nam propter damnum infectum si ex primo decreto mittitur quis, conceditur adhuc aliquid temporis reo, vt cautionem faciat, et non priusquam tempore illo elapso, decernitur missio ex secundo decreto. Itaque certe contumax pronunciandus est, qui tanto temporis spatio sibi conceitto, tamen mandato praetoris parere noluit. Si propter alias res ex secundo decreto

in



in possessionem mittimur, hoc sit, si fraudulenter reus latiter.
l. 7. quibus ex caussis in missionem eatur. Fraudulenter latitare, etiamsi admonearis praecepto iudicis, ut ad respondentum te sistas, certe maxima est contumacia. Itaque contumacia est fundamentum; siue caussa, quare hoc loco amittatur possessio. Et haec etiam caussa est, quare missio ex primo decreto domino possessionem adimere non possit, quia interdum etiam erga eos exercetur, de quibus nulla contumacia potest cogitari, scilicet contra captiuos apud hostes. *l. 6. §. 2. D. quibus ex caussis in possessionem eatur et contra debitorem impuberem l. 5. §. 2. et 3. D. eod.*

§. XXXIII.

Missio in possessionem executionis gratia, etiam adimit possessionem.

SED non modo si ex secundo decreto in possessionem mittimur, reum possessione priuamus, sed etiam, si debitor sententia damnatus eamque non ope remedii alicuius impugnans, soluere nolit, creditor in possessionem mittitur. Scilicet creditor bona debitoris idcirco conceduntur, ut, sub hastatione facta solutionem ex iis accipiat, aut etiam facta a peritis in arte taxatione creditor in vim dominii traduntur. Haec missio in possessionem certe est amissio possessionis, quia dominum adimitur.

§. XXXIV.

§. XXXIII.

Non amittitur possessio, si iudex ab executione incipiat.

Si igitur iudex aliquem in rerum nostrarum possessionem mittit, amittimus possessionem, quia iudici, personam principis qui repraesentat, non bene resistitur. Si vero iudex processum ab executione incipiat, quod ipsi, ultra casus paucissimos non licet, sane aliud dicendum foret. Iudex enim tali modo agens, non iudex est, sed potius praedo, quia vim adhibet, vbi adhuc nescit, eam esse adhibendam. Itaque ille, cuius res iudex inuadit, omni iure moderamine inculpatae tutelae vtitur. Nam quilibet res suas defendere potest contra aggressorem, siue eum, qui nullo iure gaudet, illum possessione priuandi; si vero iudex tali modo reum inuadit, certe etiam est aggressor, nullo qui gaudet iure. Si enim liceret iudici violenta manu statim contra reum vti, si tantummodo actor aliquid intedit; quare non etiam vnicuique non iudici liceret idem facere, quia violenter aggredi quilibet potest. Et quid opus esset actori actione, in qua auxilium iudicis implorat, si sibi ipse ius dicere possit. Itaque reus iudici, processus ab executione initium facienti, impune resistit, scilicet iis in casibus, vbi iudici non licet, statim bona rei inuadere.

§. XXXV.

Causa cognita. fit missio in possessionem.

ITAQVE ordinem praescriptum iudex obseruare tenetur,

F

si



si missio ipsius in possessionem dominum possessione debeat priuare. Tum enim vere iudex est, cui resistere non licet. Eiusmodi quoque iudicem leges romanae verum executorem putant. Ita enim dicitur *I. 8. C. de executione rei iudicatae.* Executorem eum solum esse manifestum est, qui post sententiam inter partes auditam omni et discussa lite prolatam, rei iudicatae vigorem ad effectum videtur adducere. Ipsa missio ex secundo decreto non sit nisi causa cognita. Ita enim *I. 15. §. 21. D. de damno infecto* dicitur: *Nondum autem statim, ubi misit praetor in possessionem, etiam possidere iubet, sed tunc demum, cum iusta causa videbitur.* Ergo interuallum aliquod debebit intercedere.

§. XXXVI.

Domino nulla actio supereft.

QVVM igitur si ordo praescriptus a iudice obseruetur, et uonisi causa cognita executio fiat, dominus possessionem inuitus amittat; videmus etiam remedia, siue actiones, quae ex possessione oriuntur, dominum amittere. Quid quod? non modo possessorium, neque ordinarium, neque summa-riissimum processum habet, sed plerumque ne quidem petitorio vti licet. Nam de eo, qui sententia damnatus pati debet, vt alter in possessionem a iudice executionis causa mitatur, constat, illum tum petitorio, tum possessorio iudicio priuari, quia creditor res vendere potest, ideoque dominum in

in emtorem transfertur. Si quis ex secundo decreto mittitur, quia debitor fraudulenter latitat, etiam creditori licet res vendere, ideoque in hoc casu quoque dominium amittitur et petitorio vti non licet. Si quis propter damnum infectum in possessionem ex secundo decreto mittitur, auctor dominium usucapione acquirit l. 15. §. 16. *D. de damno infecto*, ideoque si tempus ex lege ad usucapiendum definitum praeterlapsum sit, dominus adhuc petitorio vti minime potest. Itaque si a iudice in possessionem ita mittimur, vt domino possessionem adimamus; dominus tum possessionem, tum dominium amittit, ideoque omnis actio cessat.


§. XXXVII.

Quid de illo casu sit statuendum si quis mortuum, in locum infert, quem possidet.

Huius igitur sunt ii quinque casus, vbi quis inuitus possessionem amittit, et reuera possessio est non possidens, scilicet: 1) si quis vim maiorem veritus, redire nolit: 2) si res furto ablata est: 3) si quis rem perdidit, et ignorat, vbi sit: 4) si seruus fugitiuus a tertio possidetur: 5) si praetor quem in rerum nostrarum possessionem misit. Sed in l. 30. *D. de adquir. vel amitt. possess.* duo adhuc casus inueniuntur, vbi inuitus quis possessionem amittit. Primus est, si quis mortuum in locum, quem possidet, intulit. Ratio, quare tunc possessio amittatur, in ipsa lege additur, dum ita dici-

F 2

tur:



tur: *Namque locum sacrum aut religiosum non possumus possidere, et si contemnamus religionem et pro priuato eum temenamus.* Scilicet quum apud Romanos sepultura valeret priuata, ut quisque mortuum in suum fundum inferre posset, et tunc locum dicerent religiosum *I. 6. §. 4. D. de rerum diuisione* res religiosae vero non essent in commercio et a nemine possiderentur: vnuquisque facile videt, etiam hoc modo inuitum dominum possessionem amittere. Sed quum hodiernis temporibus ne quidem ex causis politicis sepultura priuata vti liceat; sed publica opus sit: certe huius casus nullus est usus *).

**) De natura eiusmodi rerum religiosarum videoas ea, quae proferunt
IO. GOTTL. HEINECCIVS, antiquitat. Roman. libr. II. tit. I.
§. 3. p. 413. et IO. WUNDERLICH, de usu inscript. Romanor. ves-
terum, obseruat. III. §. 3. p. 115. sqq.*

§. XXXVIII.

Quid dicenaum sit, si liber homo, qui sine culpa sua in seruitute fuit, liberum se esse, probet.

ALTER casus, vbi adhuc inuitus, secundum ius romanum possessionem amittit eadem lege 30. *D. de adquir. vel amitt. poss. continetur.* Nam §. 1. dicitur: *Hominem liberum non posse a nobis possideri.* Licet enim liberum hominem seruum putemus, tamen non possidere eum possumus, quia possessio locum habet ratione rerum, non vero ratione personarum, quorum in numero est liber homo. Itaque si ille

ille actionem pro libertate consequenda instituit, liber pronunciatur *I. 3. §. 10. D. de adquir. vel amitt. poss.* Nec domino iniuria sit, quia error imputatur erranti, et libertati, tanquam rei inestimabili omni modo succurrendum est. Nunquam praeterea fuit liber homo in seruitute vera, quia leges romanae liberum hominem, qui ex domini potestate exiit, non libertum, sed ingenuum dicunt *§. 7. Institut. de ingenuis.*

XXXXIX.

Quid, si in culpa est, dicendum.

Si igitur non est in culpa liber homo, quod in seruitutem veniat, dominus illius possessionem, si libertatem praebanerit, amittit. Si vero in culpa esset, sane aliud dicendum foret. Secundum ius romanum enim, si quis pretii participandi gratia, se venumdari passus est, etiam si fit liber homo, tamen in seruitute manet, in poenam scilicet fraudis ab eo commissae, quum dominum, qui in iusto erat errore pecunia priuaret. Alias vero semper manet certum: liberum hominem a nobis non possideri. Et hic casus licet non saepissime, tamen interdum, contingere potest etiam hodiernis temporibus, ut aliquem in seruorum nostrorum, sive potius hominum priorum, numero habeamus, qui talis non est. Si igitur hic probet, se liberum esse, possessionem nobis adimi videremus. Itaque adeo adhuc, praeter quinque casus, a nobis indicatos, aliquis, ubi inuitus amittit

F 3

pos.



possessionem. Si vero accuratius nobiscum contemplemur, quid de hoc casu dicendum sit; inueniemus amissionem possessio-
nis eum minime appellandum esse, sed potius ademptionem,
quia id, quod nunquam potuerimus possidere, etiam amitt-
tere non possumus. Licet enim eo tempore, quo adhuc li-
berum hominem eum esse non putamus, sed seruum, possi-
dere eum videamur: tamen simulac appetit, liberum eum
esse, constituimur in mala fide, et rem nostram non amitti-
mus, sed ingenuus vtitur iuribus vnicuique homini a natura
concessis ab ipsoque nunquam amissis, scilicet libertate. Ita-
que tantummodo illis quinque casibus, saepissime a nobis in-
dicatis, amittimus possessionem inuiti.

§. L.

Conclusio.

s i c igitur iam opus absolui, nihilque restat, quam a
lectoribus petere, si fortassis id quibusdam errauerim, ut con-
siderent, errare humanum esse. Non enim tractatum omni-
bus numeris absolutum, sed tantummodo specimen tale,
quale vires permittunt, edere volui. Spero, ipsos casus,
quos enucleare studui, mihi excusationi fore, cum posses-
sionis et dominii limites a se inuicem distinguere, si non diffi-
cillimum, tamen difficile sit, ideoque eo
facilius errare potuerim.

§. D. G.

Φ Φ Φ

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
CHRIST. FRID. STOLTENBERGIO

IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D. P.

CAR. FRIDER. WALCHIVS, D.

RECTAM TE studiorum rationem in academia Lipsiensis
inuisse omneque ibi tempus in hauriendis legitimis disciplinis
consumisse; neque vulgarem, sed solidam earum TIBI ad-
quisuisse cognitionem, locupletissimus testis est hic libellus,
quo viam ad honores amplissimos, TIBI, ab illustri iu-
risconsultorum ordine nostro decretos, paras. Perlegi illum
multa cum voluptate eumque ita comparatum inueni, ut re-
prehensionis culpam vix effugerem, si laudi TVAE detraheret
quidquam voluisse, atque aliquid in illo delere; vel mu-
tare. Reddo TIBI eum libentique animo prouinciam, in
ceramine sollemni mihi demandatam, in me fuscio. Quum in
dissertatione TVA dicendi, quod elegisti, argumentum
docte multaque cum diligentia est expositum, non dubium
est; quin quoque illam defensurus sis strenue litteratique ad
uersarii TVI telis, quae in TE tendunt, exoptatissimam occa-
sionem TIBI sint suppeditaturi, raras TVAS dotes, singulari-

TV



TVVM in disputando acumen perfectamque TVAM, quam
TIBI comparasti, legum intelligentiam monstrandi. Si in
mentem reuoco immortalia illa in iurisprudentiam merita iu-
risconsultorum, quibus adhuc dulcissima TVA patria, LV-
BEC A, iure potest gloriari, domestica TE habere video ex-
empla, ad imitandum TIBI proposita tantoque maiori iure
auguror reipublicae commoda, quae ad illam TVIS ex labo-
ribus redundabunt; ego vero merito ex animo TIBI gratu-
itor dignitatem, quam nostra ex academia tanquam iustam
mercedem TVARVM vigiliarum TVI que laudabilis in iure
proficiendi ardoris es reportaturus piaque pro TE TVA que
incolumente nuncupo vota. Deus porro salutem atque
incolumente TE seruet: ea, quae suscepturnus es, ex ani-
mi sententia succedere iubeat omniaque funesta omnia
abs TE TVIS que auertat. Ienae, d. xix. Jun. ann.

rep. salutis, CICIOCCCLXXI.



Zeca, Diss., 1770-71



W 18





DISSESSATIO INAVGVRALIS

D'E

POSSESSORE
LEGVM EX SENTENTIA
NON POSSIDENTE

QVAM

ADSPIRANTE SUMMO NVMINE

AVC

ILLVSTRIS IVRIS

P R

CAR. FRI

I. V. D. AC PANDECT.
DVC. GOTHA. ET ALT
PROV. SAXON. COMM
CONS. ORDIN. ADSESS.
ALIARVMQUE SOCIE

PROL
SVMMOS IN VT
RITE

DIE XX

PUBLICOER

S V

CHRISTIAN.

L

IENAE



17.

18.